Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 201
Quelle:
Copyright:

to. i. christo et ecclesia. De christo autem tribus modis. Aliquando enim de diuinitate ut ibi. Tecum principium. *Aliquando de humanitate proprie ut ibi.* Desiderium cordis eius tribuisti ei. *Aliquando transsumptione dicendo de eo quod solis conuenit membris ut ibi.* Longe a salute mea uerba delictorum meorum. *&c.* Litera prima hujus initii B. rudem Monachi iconem exhibet, cui ad marginem interiorem adscriptum EBERHARDUS. Quidni igitur hoc Autoris nomen sit? At nemo hujus nominis in *Psalmos* commentatus memoratur? Sit ita. Quis vero nescit *Eberhardum*, *Ebrardum*, *Everardum*, *Erhardum* in idem redire? Et nunc audiatur *Trithemius* in *Catal. illustr. German. f. 15. p. 2.* de *Erhardo monacho Corbejensi in Saxonia* O. S. B. *Scripsit inter cetera ingenii sui opuscula opus insigne super pentatheucum lib. V. — Alia quoque multa scripsisse dicitur: et sacras multis voluminibus explanasse scripturas: que ad noticiam meam non venerunt.* Addit *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. V. p. 106. claruisse *Erhardum* circa a. 1050. perperamque a *Possevino* et *Ducangio Ethardum* dici. En igitur, si placet, unum e *multis* illius in S. Scripturam *Voluminibus*, quod *Trithemio* videre non contigit. Initium porro, quod adduximus, Prooemii est; *Psalmus* vero I. ita orditur: *Beatus uir. huic psalmo non est ausus esdras apponere titulum, quia in sequentibus caput libri uocatur ibi. In capite libri scriptum est de me.* &c. Methodum Commentator hanc sequitur, ut primum contenta Psalmi sub unum conspectum ponat, dein στιχηρως sensum literalem apte explanet, nec in Mystica evagetur. Autoritate parcius utitur. *Hieronymum* et *Hilarium* quandoque citari videas. Ultima sunt: *totam istam armoniam spiritualiter uolens intelligi ita concludit. Omnis spiritus laudet dominum. Explicit Liber.* Adjecit coaeva manus:

Christicole cuncti sacro baptismate functi;
Gaudia mundana cum spe deponite vana.
Mundi terrore spreto. victoque dolore
Per celi rorem terre contempnite florem.
Parcite pungentes viciorum carpere sentes.
Mortis et hirsutas pariter uitando cicutas.
Vos serpentinis caute subducite spiris uel spinis.
*Omnia terr*ena *quamuis uideantur am*ena
*Decipulis pl*ena *sunt ut lita melle ven*ena
Fallax est mundus arridens atque secundus.